



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 18. in mancipia dæmoniorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

nis refert figuram, hic enim carnes fradet, porrigit, ingerit, ut carnibus pasti in pabulum denique corvis cedant. Persequitur, nos hodie scelerata Jezabel, sensualitas inquam & concupiscentia mortem intentat, afflictiones ingeminat, fugiamus ad montem ubi Christus est, fugiamus ad montem qui Christus est, ad montem ubi epulatur hodie post victoriam Christus, ad montem Calvariae ubi

pro nobis moritur Christus, sub crucis Junipero contenti simus pane & aqua, ab Angelo oblatis, non curemus quas corvus offert carnes, plus enim satiabit & confortabit nos panis quam caro, ut confecto quadraginta dierum jejunio perveniamus ad montes Galilaeae, ubi se videndum promittit Christus in immortalis gloria, & immortalitate gloriosa. Amen.

PHILIPPICA XVIII.

In mancipia dæmoniorum.
DOMINICA EADEM.

Vade Sathana. Matth. 4. v. 10.

S. I.
Cur Eva
tentetur
pomo,
Christus
omnibus
regnis.



Evam in paradiso decepturus dæmon unicum duntaxat pomum eidem ostendit, at verò omnia mundi regna offert.

Christo, ut si possit ad deferendam sibi latrunciam illum inducat: *si cadens adora-veris me*. noverat versipellis inimicus non magno opus esse molimine, ut homo ad acceptandos per fas & nefas honores inducatur, difficile autem esse, ut se submittat alteri & homagium præstet; hic labor hic omnibus mundi regnis opus est. omnia mundi regna ultro promittit & offert dæmon, ut unicum lethale crimen à Domino Iesu impetret. quâ in pollicitatione impudentiam dæmonis arguit D. Gaudentius, mendacitatem exprobrat S. Chrysostomus, *de effrœnis diaboli mendacis audacia* (verba Gaudentij) Dominum sentit & tentat, Dominum novit universae creaturae, & tamen se largiturum possessionem creaturarum pollicetur, per quem creata esse omnia non ignorat. Chrysostomus verò: *confide-*

S. Gauden.
er. 119. de
Villico

D. Chry-
sost. hom.
5. in im-
perf.

ra, inquit, *quomodo omnis promissio ejus irrationabilis sit & mendax, certe uni omnia dare non poterat, nisi ab hominibus omnia tolleret*. Verum ego non tam impudentiam & falsitatem dæmonis miror, quam pretium hominis admiror, quod tanti facit dæmon, ut homini emendo non unum auri millionem, non regnum integrum, sed omnia mundi regna polliceatur: *hec omnia tibi dabo si cadens adora-veris me*. unicum adorationem ab homine sibi factam non dimidij regni pretio ut Asverus & Herodes æquiparat, sed orbi universo componit: *hec omnia tibi dabo*: quid autem homo? adeò ignavus & sibi ipsi injurius est, ut non omnia mundi regna, sed nummulum aureum, coloratum videlicet lutum, unius momenti voluptulam, fumum & umbram honoris emendicet à dæmone, seque vicissim in mancipium perpetuum devoveat, quæ infania cum nè Angelicâ quidem facundiâ expromi sufficienter possit, mirum non erit, si me verba prius defecerint, quam dignum, aliquid contra indignissimâ pro-

hanc dementiam videar protulisse.

§. 2.
Diabo-
lus qualis
princeps.

Et quis ille est, cujus imperio te infelicissime peccator subjicis? *princeps mundi* inquires. qualis princeps? tenebrarum, quisquiliarum, sordium, abominationum, princeps nequitiarum & fraudium, unde nomen diaboli vel zabuli accepit, cui nomina millia mille nocendi artes. *Diabolus quantum ad se* (inquit Chrysostomus in c. 4. Matth.) *nunquam cessaret tentans, nec enim habet alium actum, non manducat, non bibit, non dormit, nec habet negotium aliud nisi ut tentet, ut fallat, ut subvertat; hic est cibus illius, hic honor, hoc est gaudium.* Vulpem agit cum leonem non potest, & arte potissimum fallit, cum vi & marte nequit. Myserio redundant verba illa Sponsi. Cant. 2. v. 15. *capite nobis vulpes parvulas*, sicut vulpes cepit Samson & alligatis ad caudas facibus in vineas & hostium segetes imisit, quæ sunt vulpes parvulæ necessario capiendæ, nè decipiant & damna grandia inferant? dæmones sūt de quorū primipilo ita loquitur D. Gregorius Nyssenus hom. 5. in Cant. *hic tantus Imperator legionum dæmonum quomodo nominatur vulpes parva? & omnes qui eum circumstant? & uni versus ejus exercitus vulpecule? non enim dicit: venamini aprum sylvestrem aut singularem ferum aut rugientem leonem aut magnam balenam aut magnum draconem, sed parvas vulpes & infelices, quæ quia de statu felicitatis æternæ & vineâ coelestium deliciarum expulsæ sunt; idcirco vulpantur, in terris, ut vineam Christi facibus concupiscentiarum succendant & demoliantur.*

§. 3.
Diabolus
princeps
stultitiæ.

Sit autem quantumcunque vult versipellis & vaser diabolus, nihilominus tamen *totius stultitiæ princeps* à S. Bernardo ferm. in c. 12. Apoc. meritissimò appellatur, capi-

tur enim astutus in astutia sua, suaque proditur in stultitia, stultissimum fuit illud dæmonis consilium, etsi ex medulla, ut sic dicam, diabolici ingenij profectum, quo mortem Christi per uxorem Pilati præpedire satagit, *consultius propositi sui poterat obtinere effectum, si quos inflamma verat sacerdotum animos evertisset*, inquit Laurentius Justinianus de triumphali agone c. 13. §. 5. consilia Sacerdotum dissipare, si saperet dæmon, debebat & principum studia evertere, ut Christo in vivis servato redemptio generis humani impediretur; at ut se totius stultitiæ principem demonstraret, per fœminam turbandæ redemptionis negotiū egit & egit actum. Verum ut innumeros stultitiæ diabolicæ actus passim in scripturis insinuos præteream, satis superq; in hodierno Evangelio stultissima sua consilia prodidit, cum incarnatam sapientiam triplici tentatione aggredi præsumpsit. quid enim stultus quàm famelico lapides offerre pro cibo ad gulam irritandam; & digna lapide dementia! egregiâ dæmonem ironiâ accipit D. Petrus Chrysologus ser. II. *Miser, malus vis esse, sed nō potes: cupis tētare sed nescis; esurienti offerre tenera non dura debuisti; famem non asperis palpere sed blandis, in ediam non horridis debueras urgere sed gulosis, ad præsentiam Christi deperire tibi artes tuas tentator intellige.* Deinde quid infanians, quàm è templi pinnaculo præcipitium potius suadere, quàm in aëre volatum aut aliud ostentationis portentum; & præceps & infimo terræ puncto dignum consilium! quid dementius quàm pro unius adorationis officio totius dominium mundi polliceri, & umbram pro sole, putidum pomulum pro toto pomario, pugillum terræ pro universo regno licitari & di-

M 2

lapi-

Didacus
Niss. poli-
tic. p. 2. l.
3. c. 6. p. 86.

lapidare? O stultiarum omnium caput & compendium! considerat doctissimus Didacus Nyssenus in triplici hac tentatione triplicem dæmonis genium, crudelitatem in lapidibus, impietatem in præcipitio, stultitiam in petito adorationis hominatio, verum in singulis pariter tentationibus crudelem, impium, stultum liquet fuisse, nec ullâ omnino tentatione hominem pulsât, quin triplicem hanc suam proprietatem, crudelitatem, impietatem, stultitiam manifestet, quam si non agnoscimus, aut agnitam nihilominus admittimus, nâ nos dæmonibus omnibus stultiores, sceleratiores, & in nos ipsos crudeliores sumus.

§. 4.
Diabolus
similis
pardali.

Juratus iste & implacabilis humani generis inimicus sicut odium in Deum nunquam deponit, sed auget indies juxta illud psalmi 73. *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. ita & furor in homines magis magisque inflammat.* Pardali comparat D. Basilius dæmonem hom. de script. loc. pardalis animal est homini inimicissimum aded, ut quandoque in stadijs hominis oculos præ ira invadat: qui autem feræ furor deludere quærunt, hominis imaginem ei ex charta ostendunt: illa statim furibunda eam concerpit & dilacerat. hoc argumento satis ostendens, quanta fit ejus adversus hominem inimicitia. Sic etiam diabolus hominem in imagine apparentem infestatur, quando Deum ipsum attingere nequit; hinc ipsi bellum tam acre contra nos. hucusque Basilius, tantâ porrò nocendi cupiditate ardet nostrisque ita delectatur calamitatibus, ut licet noverit nullum aliud nostris ex casibus sibi lucrum accedere, quàm majora supplicia, malitiam tamen amplius & amplius torqueri, quàm à nocendi hominibus

studio vel momento desistere, quasi requies & beatitudo, ut sic dicam, dæmonis sit nocere mortalibus.

Lucae II. ait Dominus dæmonem expulsum ab homine loca petere inaquosa: *ambulat per loca inaquosa quærens requiem.* ubi requiem inveniet, qui infernum suum ubivis locorum circumfert? quomodo requiem capeffet, qui inquietâ laniantis conscientie tempestate nunquam non agitur? quando requiem inveniet, qui evidenter cognoscit æternum se DEI hostem spoliatum spe omni beatitudinis comparandæ & integrandæ gratiæ? quid tandem? requiem quærît, quia nocere homini molitur, quia perniciem generi nostro fruit, quia decipulas milleartifex tendit: *quando nocere potest, quiescit aliquo modo,* inquit Abulensis. hæc est illius beatitudo, hæc gloria, hoc cælum nocere electo Dei populo, seducere Christi oviculas, pervertere Dei hominis sponsas, evertere viva Spiritus Sancti templa. S. Prosper Aquitanicus l. 3. de vita contempl. c. 8. depingens tripudium dæmonis in hominis ruina, sic mortalem unumquemque alloquitur: Tuis malis pastus exultat, invitat, ut feriat, erigit, ut elidat fovet, ut perdat, qui inexplebiliter de ipsa perditorum captivitate tripudiat. attende cæce & miserande peccator, cui fidas, cui obsequaris, cui servias, qui cum paciscaris: fraudulentissimus hostis est, juratus animæ tuæ latro est, indefessus infidiator est, qui non nisi incommodis tuis pascitur, adversitate & melancholiâ lætatur, ruinâ tuâ exultat, excidio tuo triumphat; mel quidem se præbere simulat, sed fel & toxicum fraudulentus porrigit; elevat te ut gravius dejiciat, fovet ut fauciet, ungit ut pungat, amplectitur ut suffocet, & quoties te ceci-

§. 5.
Requies
dæmonis
est homini
nocere.

diffe

diffe videt, ingemifcentem audit, perditum contemplatur, toties tripudiat, volat, jubilat, folùmque illum feftum habet diem, qui infestus tibi fuerit & exitialis.

Non minori verborum nitore eandem veritatem exprimit Celenfium Abbas Petrus I. de pan. c. 12. tormentis noſtris delectatur, doloribus refrigeratur, effuſio noſtri ſanguinis eſt ei poculum mellis. Jungamus Petro Petrum, Abbati Archiepifcopum, Chryſologum inquam ſerm. 12. capit ille ſatietatem, voluptatem percipit, expletur epulis, quando nos libido ſolvit, quando moriuntur virtutes, vivunt vitia. Et huic capitaliſſimo hoſti homo ſe devoteat? opem imploret? foedera contrahat? colludat? & ob rem nihili intolerando illius jugo ſe mancipet? Notum eſt illud Democratis Athenieſium legati (Lauredani verba exſcribere placuit) qui finitâ legatione apud Philippum Macedoniae Regem, patrem Alexandri magni, cum dixiſſet Rex: quidnam cupiunt Athenienſes, quod eis præſtare poſſim? libenter enim faciam; repoſuit: *ut te ipſum ſuspendas ſive ut cervices frangas.* Athenienſes, ut ita dicam, omnes dæmones ſunt, omnis homo eſt illis Philippus; deſiderium eorum eſt ut Philippi omnes eum ſucceſſum habeant. hæc Lauredanus.

Lauredan-
tic. dæmō.
pag. 670.

§. 6.
Servire
diabolo
cadere eſt.

Quæ prima fuit dæmonis in cælo intentio, ea etiamnum in inferno perdurat, nec temporis varietate, nec ſuppliciorum gravitate mutatur: *diabolus ſemper in id, quod in principio appetit, perſeverat,* inquit Doct̄or Angelicus ſuper illud If. 4. in cælum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum. *propterea inducit ad idololatriam homines volens ſibi uſurpare, quod Dei eſt.* ad hæc adoratio dæmonis ruina eſt hominis, non niſi enim à pro-

Sylv. to. 1.
l. 3. c. 3. q.
38.

ciduo vult honorari: *ſi cadens adoraveris me.* miſerrimè cadit, qui turpiſſimâ beſtiam adorare dignatur. *ipſe diabolus conſitetur, quoniam adorare eum & voluntatem ejus facere, cadere eſt à gloria DEI.* Et quid ſuavè aut bonum participare poteſt, qui cecidit? aut quid aliud ſperare poteſt, qui talis eſt, niſi mortem? ei enim, qui cecidit, proxima mors eſt. hæc perquam eruditè D. Irenæus l. 5. c. 22. Non niſi caſum & ruinam noſtram hoſtis nequam deſiderat & molitur, unde & in ſecunda tentatione ſervatori noſtro dixit: *mitte te deorſum cur non potius: ascende in altum, captivam duc captivitatem? convenientiùs dixiſſet* (Chryſologum recito ſerm. 13.) *ſi Filius Dei eſ, ascende in cælum, cum ſit hominis utique ad ima cadere, Dei ſit ad ſuperna conſcendere. Sic ſuis ſuadet, ſic ſuis providet ſemper, ſic ſuos elevat, ut de alto præcipitet validiùs in ruinam. conſilijs ſuis ſe diabolus prodit.* hæc Chryſologus, cui Chryſoſtomus correfpondet homil. 5. in imperſect. non dixit ambula per aërem, ſed tantùm dixit: *mitte te deorſum, ſi eſ filius Dei, ut ſciamus, quia omnis qui obedit diabolo, ipſe ſe deponit deorſum in profundiffimum malorum omnium barathrum cadit, quiſquis credit & cedit ſuggeſtionibus inimici, quia enim diabolus deorſum ceciderat,* inquit D. Bonaventura in c. 4. Lucæ. *libenter omnes deorſum trahit. & trahi nos in exitium noſtrum ſcientes volentes patiemur?*

Ut verò eò faciliùs trahat deorſum, excæcat priùs hominem, ſicut aquila injectis pulveribus cervum, quem in præcipitium impellit. Figuram dæmonis repræſentavit Ammonitarum Tyrañus, qui à viris Jabes in ſignum foederis petiit, ut eruere dextrum cuiſvis poſſet oculum, omniumque ludibrio
M 3 eos

§. 7.
Diabo-
lus aſſecelas
ſuos in
oppobri-
um ponit.

eosdem exponere: *in hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros & ponam vobis opprobrium in universo Israël.* 1. Reg. II. V. II. crudele certè fœdus, at diabolo proprium, quia quisquis antiquo hosti (verba sunt Petri Damiani l. 6. epist. 5. ad Abbates & Monachos) in perversa suggestione substernitur, dum se tanquam superbo regi turpiter fœderat, necesse est, ut dextrum oculum, hoc est lumen contemplationis amittat, & sic opprobrium in Israël ponitur, quia probrosæ derisionis obrectationibus mordetur. Non vident excæcata dæmonum mancipia miseriam suam conditionem & opprobrium, quod apud Deum, Angelos, homines, imò ipso met dæmones incurrunt. Vide Judam exculneam pendentem, qui, ut loquitur Venerabilis Beda, in aëris medio perit, quia cœlo terræque perosus fuit. *quantos putamus in eo fuisse tortores* inquit D. Ambrosius in ps. 35. *ut sibi ipse tam gravis pœne exactor incuberet & semetipsum stragularet.* Jam diu erat (verba Drogonis Hostiensis lib. I. de sacrament. passion.) quod avaritiæ laqueo se suspenderat, sed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit. In aëre perit, ut foret opprobrium in Israël & aërearum socius potestatum agnosceretur. ita Bernardus sentit fer. 8. in ps. 90. *Judas in aëre crepuit medius, aërearum collega potestatum.* Clarius Hugo: *ideo autem suspensus est laqueo ad innuendum, quod erat socius dæmonum, qui erant in aëre.* ita affectas & servos suos dæmon destituit prostituitque, ut non tantum in futuro, sed & in hoc sæculo ignominiam velut cauterio signentur & morte turpissimam in rogis, rotis, patibulis condemnentur. Non eget Deo ultore & interfectore (verba sunt Baëzæ expendentis cur Sen-

acherib non sit occisus ab Angelo inter centum octuaginta quinque millia interemptorum, sed à filiis suis, cum adoraret Deum suum Adramelech 4. Reg. 19. (non eget Deo ultore, qui dæmoni servit: diabolus ipse carnifex suorum est & indignè fert, quod sui communi clade concidant, quos ipse omnium crudelissimè ad casum & perniciem impellit. & adhuc tam improvidi erimus, ut temporanei sempiternique opprobrij periculum, ultro subeamus?)

Ponam vobis opprobrium in Israël. Expertus est universus Israël hoc opprobrium, quando ad conflandum aureum vitulum, in aures suas & cimmelia conferre debuit, seque pretiosissimis quibusque ornamentis denudare, unde sacer textus ait: *videns ergo Moyses populum quod esset nudatus.* hoc est: excæsiarius, ut explicat Cornelius sive cæsarie suâ spoliatus, coronâ & diademate, quod quasi libertatis insigne cum nomine tetragrammato in capitibus gestarat, privatus, propter ignominiam sordis, propter idolum conflatum, idola enim hebraicè *gillulim* sterora & for des appellantur, quæ quisquis colit, sordidatur & abominabilis Deo angelisque redditur. tolluntur in aures populo, quia omnes peccatores *vera ornamenta aurium voces Dei amittunt*, inquit Tertullianus & Ambrosius, *quia sacrilegium audierant, constatis earum in auribus constata est imago sacrilegij, similiter & annulis, quia nec fidei signaculum habere poterant.* male audit, qui suggestionibus dæmonis obaudit, in aures & annulos perdit, qui fidem Deo datam frangit & nutui potius sathanae quam voci divinæ annuit, nudatus ergo probrose populus, idolum sibi erigit, de quo psaltes: *fecerunt vitulum in Oreb, & mutaverunt*

§. 8.
Eleganti figurâ id ipsum confirmatur.

Tertullia.
scorpiac.
c. 3.
S. Ambros.
Epist. ad
Romulum

runt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum ps. 105. v. 19. non fecerunt sibi vitulum arantem, triturantem, plaustra trahentem, sed in similitudinem comedentis fœnum, ut ab eo ipsi comederentur, hi qui fœnum, id est caro sunt: omnis enim caro fœnum, ita Augustinus citatus à glossa. ô stoliditas, ô infania hominum, qui putant se à dæmone aut vitij emolumentum aliquid relatuos; nihil omnino præter nuditatem cum protoparentibus & vitulantibus hebræis referunt, & in escam dæmonibus cedunt, devorandi ab hostibus suis, sicut à vitulo hebræi depasti sunt: in similitudinem vituli comedentis fœnum. observandum insuper est vitulum hunc opere fusorio non sculptorio fabricatum esse, quia ab eo, quod per sculpturam formatur, aliquid aufertur & remanet, ab eo autem, quod per fusuram efficitur nihil adimitur, sed totum infunditur; similiter qui dæmoni servit, nihil reliquum habet emolumentum, sed omnia sua seque totum prodigit, & in escam dæmonis assumit. De idololatriis decem tribubus sub nomine Ephraim dicitur Osee 12. *Ephraim pascit ventum & sequitur æstum.* quid est aliud ventos pascere, inquit Augustinus, nisi dæmones pascere? hoc est errando ipsis esse voluptati atque derisui, & quid est æstum sequi? respondet S. Hieronymus: æstus contrarius est floribus & germinantia cuncta dispergit; æstum sequitur qui dæmoni obsequitur, à quo omnes flores honoris & gratiæ, omnia germina virtutum & meritorum disperguntur, ita ut præter ignominiam, inopiam, nuditatem, abominatorem nihil omnino reliquum fiat.

Proh quanta erit in die novissimo confusio vestra ô infelicissimi dæmoniorum mancipis, quod mendacissimis, stultissimis, durissi-

mis, crudelissimisque dominis servire malueritis, & intolerabile portare jugum, quàm in libertate Filiorum Dei vivere & festuculam sanctæ crucis tollere. Quàm probrosum erit audire Luciferum, coram supremo Judice ignaviam vestram in hæc verba, quæ D. Cyprianus audire sibi visus est, sugillantem: *ego pro istis, quos mecum vides nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, sed nec regnum caeleste illis promisi & munera mihi quàm pretiosa, quàm grandia, quàm nimio labore quaesita compararunt.* Ecce meos Brachmanes, qui omni carniū pisciūque esu in mei gratiam perpetuo sibi interdixerunt; Ecce meos Mexicanos, qui vicena millia caesorum parvulorum corda mihi quot annis immolarunt; Ecce meos Bonzios, qui cultellis se conscindere, membra adurere, sanguinem mihi suum litare in deliciis habuerunt; ecce meas Vestales, quarum perenne studium mihi corpore intaminato *vigilare, adservare, sacrificare.* ecce tuos Christianos, qui juratam tibi fidem e jurarunt, suoque animas suas sanguine mihi subarrharunt, ecce tuos catholicos, qui diutiùs in ganeis quàm ecclesijs, libentiùs apud furriones quàm verbi tui præcones, avidiùs apud vetitas carnes, quàm ad pretiosissimam carnem & sanguinem tuum comparuere. O non perstringat nos similis exprobratio, quin tempore abrenuntiemus Sathanæ & omnibus pompis ejus, excutiamus durissimum Belialis jugum, & vincula dirumpamus. Rescindamus fœdera omnia & ex hoc momento imortale illi odium & bellum indicamus, aderit militibus suis Christus, qui solo biverio omnes legiones tartareas abigere nos docuit: Vade Sathana.

PHI

S. Cyprianus ferm. 1. de eleemosy.

Padille in Habacuc. pag. 178.

S. August. 1. 2. contra Faust.

§. 9. Exprobratio in die novissimo.